



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Gratias agit Deo, victorias, & prospera[m] in reliquis rebus imperatoris  
fortunam co[m]memorans, inuehensq[ue] in Maximum tunc temporis  
tyra[n]num, qui per persecutionis atrocitatem, maiore gloria ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## CONSTANTINI ORATIO

133  
Eius amore inflammantur omnia? At quid sapientiae cum  
voluptate commune? Verum ista illis ad loquendum per-  
mittantur, qui humanam quandam Dei procreationem in-  
ducunt, quiq; animum suum omni turpis facinoris, & con-  
uicij macula purgare minime elaborant. Te ô pietas inuo-  
co, tuum auxilium in his, quæ dicuntur, imploro: quæ qui-  
dem & legem quandam sacram castamq; perscribis, & opta-  
tissimam omnium bonorum spem, quæ est sanctissimæ im-  
mortalitatis magistra, & vera certaq; promissio, ostentans.  
Te ô pietas vna cum clementia adoro. Tibi pro tuis subsi-  
diis nos, qui his eguimus, gratias debemus immortales. Te-  
meraria multitudo tui auxillii ignara, propter odium inna-  
tum, quo incenditur aduersum te etiam Deum ipsum dete-  
statur. Omnino enim nec vitæ suæ causam, nec se, nec reli-  
quos impios, ex officio & cultu Deo opt. max, debito pen-  
dere agnoscit. Totus enim orbis & omnia quæ eius ambi-  
tu continentur, sunt illius possessio.

*Gratias agit Deo, victorias, & prospera in reliquis re-  
bus imperatoris fortunam cōmemorans, inuehensq;  
in Maximum tunc temporis tyrānum, qui per per-  
secutionis atrocitatem, maiore gloria pietatem illu-  
strauerat.*

C A P. XXII.

**E**GO certè & prosperam meam fortunam, & meas res  
omnes pietati acceptas refero. Testis est etiam rerum  
omnium ex animi sententia euentus. Testes sunt præ-  
clara facinora: Testes victoriae contra hostes & trophæa.  
Iuxta mecum hæc nouit, & cum laude propterea Deum ce-  
lebrat, illustris & eximia ciuitas Roma. Asfentitur item po-  
pulus virbis mihi charissimæ, licet falsa spe deceptus, prin-  
cipem se indignum delegerit: qui quidē extemplo pro sce-  
leribus ab ipso admisisse, iustas debitasq; pœnas persoluit.  
Quæ certe cōmemorare non est integrum, mihi præsertim  
qui apud te, ô pietas, distero, omniq; studio & industria in-  
cumbo, quo pacto te verbis castis decorisq; affari queam.  
Dicam tamen fortassis aliquid (ô pietas) quod nec turpi-  
tudinis, nec indecori quicquam in se complectitur, furore  
tamen & crudelitate redundans. Cum bellum peltiferum  
contra omnes sanctissimas tuas ecclesias, à tyrannis excita-  
retur,

retur, & nonnulli in vrbe Roma, se tantis malis & tam insig-  
gniter improbis oblectare non desisterent, campusq; esset  
ad pugnam præstitutus, tu in medium progressa teipsum fi-  
de in Deum roboratam munitamque, aduersariis opposui-  
sti. Mortalium verò impietate nobilitatorum crudelitas,  
velut ignis, rapide omnia absque intermissione depascens,  
admirabile glorię decus & omnino eximiū tibi apportauit.  
Ac proptercā ipsos spectatores permagna cepit admiratio,  
cum videre liceret lictores, & eos qui piorum corpora tor-  
quebant, in irrogandis supplicijs fessos languere, grauiter-  
que diuexari, vincula etiam resolui, cruciatus ipsos retudi,  
& incendiorum flamas circumiectas restinguī: & constan-  
tem ac liberam confessionem, ne vel ad exiguum temporis  
spatium à sanctis remitti. Quid ergo cum ista molieba-  
ris o sclestissime, profecisti? Quæ causa quæso, te ex men-  
tis statu deturbauit? Dixeris fortasse, propter deorum ho-  
norem: at quorum quæso? aut quam cogitationem dig-  
nam diuina natura suscepisti? deos ne more tuo iracundos  
putabas? Quod si tales fuissent, oportuerat potius eorum  
institutum admirari, quam impudentibus importunisque  
mandatis illorum, qui iustorum hominum cædes iniuste fi-  
eri suadebant, morem gerere. At dixeris forsitan, te ob ma-  
jorum instituta, hominumque existimationem hæc aggref-  
sum. Assentior equidem, nam instituta illa & similia sunt  
illis qui ea sancuerint, & vnam eandemque declarant in-  
scitiam. At forsan singularem quandam vim in statuis ad  
humanam effigiem à fabris & architectis fabricatis inesse  
censemus: ac propterea istas res accurabas, omni studio ad-  
hibito, ne simulachra deorum maximorum præstantissi-  
morumque, humana ope & curatione egentium, turpi labe  
aliando contaminarentur.

*De institutione vitæ Christianorum, & quod Deus  
delellatur iis qui viuendo virtutem exprimunt,  
quodq; iudicium et retributionē expectari oportet.*

## C A P .      XXIII.

**A**T nostrā religionē amabo te cū vestris institutis accu-  
rate cōparando expende. An non hic vera & germana  
con-